





22

G. 75 num 24  
21.

14

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA

DE INTERPRETATIONE  
CONTRA EVM FACIENDA  
QVI CLARIUS LOQUI DEBVIT

QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO  
FRIDERICO CHRISTIANO  
MARGGRAVIO BRANDENBVRGICO BORVSSIAE  
SILESIAEQVE DVCE REL. BVRGGRAVIO NORIMBERGENSI REL.

P. 36  
EX DECRETO ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICAE  
P R A E S I D E 1766, I  
IC. IVSTINO SCHIERSCHMIDIO ICto  
SERENISS. MARGGRAV. BRANDFB. CVLMBAC. CONSIL. AVL.  
ANTECESSORE ET PHILOS. PRACT. PROF. PVBL. ORDIN.

PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN VTROQVE IVRE HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
CONSEQUENDIS  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI  
SVBMITTIT  
AVTOR ET RESPONDENS  
GEORGIVS CHRISTOPHORVS KLEIBERT  
SVINFVRTENSIS.

D. APRIL MDCCXLVI.

ERLANGAE  
TYPIS WOLFGANGI WALtheri.



DISPUTATIO INAGRAVII IARIGICE  
DE INTERPRETATIONE  
CONTRA EVM TUDORVM  
ORIGINALIAS POGI DIBAT  
HEDERICO CHRISTIANO  
BONITNO  
LECTOR MAGNIFICENTISSIMO  
REBENSIMO PRINCIPE AC DOMINA  
D O M I N O  
L H D E R I C O C H R I S T I A N O  
AUGUSTINO FRANCISCANO SOCIATE  
ALBONIUS DEO ET GLORIA SANCTA TRINITATI  
F D E G E T I L I C A S T R I S T A C A L T A S I A R I G I C E  
S R A T E S I D E  
I E H A T I O S C H I E R S C H M I D I O I C O  
S E P T I M I O S M A N G O V I A S R A N D U R C U M S C O M I S I V A P  
T H E B R O O K T H E M O N T H E R O O K T H E M O N T H E  
H O G R A D A D O C T O R I S  
S U M M I C E S I A V A L T O D A V I A Y A R H O N O H I A S T H E V I A L I O N I S  
C O D E X V A L K I S I C  
P H Y S I C O E L A Y D I O L A M E X A M I N I  
T H E M I T T  
C A T O L I C R E S T O N D E S  
C L O D I C S C H R I S T I S H O R I S R E M E T S  
S A M A T T E R I A  
T H Y S S W O L F G A R D I C H T  
T H Y S S W O L F G A R D I C H T





DE INTERPRETATIONE  
CONTRA EVM FACIENDA  
QVI CLARIUS LOQUI DEBVIT.

§. I.

**N**um alia iuris regula ex LL. Romanis pri-  
mum deponita ampliorem sibi in praxi  
vindicat autoritatem, ac illa, quam in praec-  
senti ex oeconomia iuris explicandam su-  
cepimus? Evidem haud ignoro, quam plures eosque  
celebriores *ICTOS* cum B. LEYSERO, cuius memoriam  
veneramus, hanc regulam ad stipulationem saltēm restrin-  
gere, atque iure hodierno contra eum tantum interpreta-  
tionem faciendam esse sibi persuadere, *qui verba contractus* *sententiae*  
*concepit, aut concipere debuit.* Et quamvis celeberrimus *ICTUS* *aliorum,*  
BOEHMERVS in sua disputatione *de interpretatione facien-*  
*da contra eum, qui clarus loqui debuisset,* hanc regulam  
ultra stipulatorem procedere proclamet, atque cum MANTIC  
contra quemcunque valere aferat, qui ex contractu

A 2

fin.

IV DE INTERPRETATIONE CONTRA EVM FACIENDA

singularem utilitatem querit sive oneroso, sive gratuito  
§. 20. *Diff. cit.* utraque tamen sententia, quod venia eorum dixerim, qui alterutram amplexi fuerunt, admodum iniqua in hanc regulam nobis videtur. Nulla enim hactenus adaequata ratio apparet, cur in enucleandis verbis huius regulae posterioribus, quae dubio procul generalibus adscribis, contra ipsam interpretationis theoriam, restrictiuiam potius, quam extensiuiam sequi velimus interpretationem; siquidem ex differentia specifica pactorum vel contractuum vix ratio elici posse mihi videtur, cur legum prouisiones a pacientibus tantum clarioram locutionem desiderent, si interpretationem contra ipsos alias faciendam exitare velint. Nonne leges suis prouisionibus quoque a testatore et ab alio quocunque, qui negotiis a pacto diuersis se immisceret, efflagitant, ut mentem suam clare et determinate explicet, si interpretationem in legis prouisione fundatam contra se alias faciendam declinare velit? Nullus igitur dubito, quin regula ista non solum in pactis, verum quoque in aliis negotiis a pacto diuersis, iudicabilibus aequae ac extrajudicabilibus, vim suam exerat atque potestatem.

§. II.

*Dificultates, quibus sententiae aliorum premuntur.*

Ipsa vero, quae vulgo traditur, huius regulae enunciatio, seu potius ultimorum eiusd. verborum interpretationio, quis scilicet *is sit*, qui *clarior loqui debuerit*, aut ineluctabilibus tricis involuta est, aut idem per idem exponit, ideoque usum huius regulae, qui alias amplissimum esse poterat, plane impedit. *Franciscus enim Cardinalis MANTICA Lib. II. t. 4. n. 94. de tacit. et ambiguis conventionibus,*

bus, eum inter pacientes clarius loqui debuisse, et consequenter contra eum interpretationem in casu dubio faciendam esse afferit, qui ex pacto nititur, ideoque ex eo commodum vel reportare, atque ad sententiam suam stabililiendam quam plures non solum ICtos tum tempore celebres, verum quoque textus allegat hanc suam enunciationem declarantes. Sed nemo forsitan non vider, hanc sententiam MANTIGAE vel nullius vel difficillimae omnino esse applicationis. Quilibet enim pacientium pacto nititur, quilibet eorum, si pacta gratuita excipias, commodum ex pacto vult reportare, et idcirco contra venditorem aequa ac emtorem, contra locatorem aequa ac conductorem etc. interpretatio esset facienda, cum tamen L. 39. ff. de pactis L. 21. et 33. ff. de contrahend. E. V. in specie vendoris et locatoris mentionem faciat, contra quem in dubio interpretatio sit facienda. Facile inde celeberrimus noſſer BOEHMERVS mox ab initio vitae suaæ academicae perspexit, hanc MANTICANAM enunciationem regulæ <sup>In specie</sup> sententia <sup>fententia</sup> supra traditæ nullius ferè in foro viſus esse. Itaque ICtus Boehmeri, BOEHMERVS interpretationem MANTICANAM illius, qui clarius loqui debuit, magis esse determinandam putauit, et contra eum pacientium in dubio interpretationem faciendam esse afferuit, qui singularem et extraordinariam ex pacto vel contractu quæſiuit vilitatem §. 20. cit. Differ. BOEHMERI de interpretatione facienda contra eum, qui clarius loqui debuſſer. Quamuis autem B. BOEHMERI sententia, si adaequata principia in sequentiibus tradenda praefruas, a vero non adeo remota esse videatur, praeculsiſ tamē hisce principiis vix ac ne vix quidem viſum in foro inueniet; Alter enim pacientium

A 3

faci-

VI DE INTERPRETATIONE CONTRA EVM FACIENDA

facile alteri vtilitatem singularem vel extraordinariam indigitabit ad hunc alterum redundantem, et vice versa. Dubium igitur non est, quin haec explicatio facillime anticipates disputationes in utramque partem proclives procreare possit, litesque immortales; Ut taceam contractus onerosos, in quibus uterque paciscentium regulariter aequalem percipit vtilitatem, ita, ut exinde vtilitatis singularis determinatio difficillimae probationis sit; ad pacta vel contractus sua natura gratuitos tantum in praesenti prouoco. Nonne regulariter contra donatarium, contra debitorem in contractu mutui, contra commodatarium et deponentem facienda erit interpretatio? si nimirum mentem suam vel plane non, vel obscure quodammodo explicuit. Ipse B. BOEHMERVS in cit. Diff. § 22. hancce difficultatem praeuidit, et ideo in donatione varias addidit exceptiones à regula sua discendentes. Eam ob causam inclyro et limatissimo ICto LEYSERO in malam partem minime interpretamur, quod sententiae celeberrimi BOEHMERI in cit. Diff. traditae subscribere noluerit.

§. III.

*In specie  
sententia  
Leyseri.*

Pace tamen eorum, qui nobiscum memoriam Iuris alias consultissimi LEYSERI venerantur, liceat dixisse, expositionem huius regulae LEYSERIANAM nec nouam, nec aliis praestantiorum, quin potius BOEHMERIANA explicatione, si usum fori respicis, longe inferiorem esse. Siquidem B. LEYSERVS in Specimine Pandect. 41. m. 4. eum clarius loqui debuisse, atque contrariam sibi interpretationem pati aferit: *qui verba pasti concepit vel concipere A U T MENTEM SVAM EXPLICARE debuit, atque obscu-*

*re*

*re vel ambigue locutus est etc. Noua vero haec sententia, aut explicatione aliorum praestantior vel ideo mihi non videtur, quod BOEHMERVS. §. 21. Diff. cit. de interpret. fac. contra eum, qui clarius loqui debuisset, biulcam rationem communem vocauerit, quando afferunt, interpretationem esse faciendam contra eum, qui verba contractus protulit. Quid, quod nec argumentum B. LEYSERI ex L. 38. §. 18. ff. de Verb. Obl. ad stabiliendam suam expositionem de promtum procedit. Ibidem VLPIANVS, in stipulationibus, inquit, quum quaeritur, quid actum sit? verba contra stipulatorem interpretanda sunt. Quis autem ignorat, in stipulationibus Romanos verba solemnia, quae ideo fixum atque determinatum significatum habuerant, adhibuisse, ac proinde ultra verba eorumque significatum fixum nunquam processisse? HAHN ad Wesemb. tit. de Verb. Oblig. n. 1. Vnde facile liquet, ea, quae in isto textu disponuntur, ex differentia specifica stipulationum tantum determinari, ideoque contra regulas bonae interpretationis eum omnino impingere, qui istum textum ad stipulationes Romanorum restrictum interpretatione extensua ad contractus omnes etiam b. f. transferre velit. Cf. Dn. PRAES. Dilucidat. ff. prael. I. §. 21. Hodie, si cambium excipio, tales contractus non amplius occurront, qui verbis sollemnibus perficiantur. Si autem tales darentur, ex praceptis infra tradendis prouisio legis cit. locum quidem inueniret, nunquam tamen hoc ius stipulationis singularare in aliis contractibus, qui b. f. sunt, ad consequentiam effet producendum L. 14. ff. de LL. In contractibus vero b. f. quales procul dubio intellexit B. ICtus LEYSERVUS ex mente omnium ICtorum is contrahentium,*

*qui*

VIII DE INTERPRETATIONE CONTRA EVM FACIENCA

qui contractum ab alio in scripturam redactum per legit atque subscriptis, omnia quoque contenta eiusdem agnouisse praesumitur. L. 47. §. 1. ff. de pact. L. 17. C. de fide instrum. Liber B. a WERNHER P. 5. Obs. 133. Menoch. de arbitrar. Iud. quaest. Cas. 94. n. 14. WESEN B. Cons. 131. n. 3. Ea propter nulla mihi videtur adesse ratio, cur interpretatio non aequa contra eum pacientem sit facienda, qui contractum subscriptis, ac contra ipsum qui verba pacti concepit aut concipere debuit. Nec ultima verba, quae celeberrimus LEYSERVS regulae ab aliis iamiam traditae adiecit, scilicet: *aut mentem suam explicare debuit, atque obscure et ambigue locutus est*, usum regulae praebere possunt; Clarius enim loqui debere, idem est ac mentem suam explicare debere, et consequenter verba ista adiecta procul dubio idemper idem explicitant.

*Nota.*

*Modus regulam explicandi traditur.*  
Licet autem ob regulam istam cumprimis vero ob verba eiusdem, quis sit is, qui clarius loqui debuerit, paullatim inter tot clarissimos ICTOS, quos MANTICA allegat et BOEHMERVS, plures et admodum ancipites disputationes prodierint, tantum tamen abeunt, vt alterutrius opinionem falsitatis accusemus, vt potius principium certum et adaequatum ex oeconomia iuris derivare ainitamur, quo huius regulae theoria non solum certa, verum usus quoque eiusdem hactenus exiguis, in foro amplior euadat atque facilior. Etenim feruntur omnes, qui in explicandis verbis huius regulae occupati fuerunt, ex variis casibus in iure definitis regulam, seu potius interpretationem sibi esformarunt, minus solliciti, an et quomodo haec regula cum ipsa Iuris oeconomia cohaereat, id quod, B. Lecto! adlocum MANTICAE, ad Meditationem LEYSERI et Dissertationem BOEHMERTI, aliorumque ICTORUM scripta, quae allegant, attentus faciliter negotio intueri poteris. Hinc mirum nobis neutiquam visum fuit, cur neuter

ter eorum dubia suae interpretationi ab aliis obmota ex affe tollere, aut cohaerentiam sententiae suae cum ipsa iuris oeconomia ne quidem pro parte demonstrare potuerit. Diu enim comprobatum est axioma, quod extra sistema nulla detur defensio; siquidem dubia, quae nostris assertis obiciuntur ex ipsis demum principiis remouenda veniunt, ex quibus nostra deduccta sunt asserta.

*la animalia in signo recessione ordinis etiam melius. Et  
etiam ordinis communione mutatio est regula nec manu  
omnium animalium. Etiamque in signo recessione animalium ordinis*

### §. IV.

Omnis in eo conueniunt ICti, quod prouisio hominis expressa tollat seu excludat prouisionem legis L. vlt. C. de paet. conuent. Mantica de tacit. et amb. conu. lib. 3. tit. 7. n. 23. CVRTIUS IVN. Conf. 40. n. I. FERD. CH.

HARPPRECHT Vol. 2. Conf. 97. n. 37. ita, ut in dubio quidem prouisionem legis sequatur, quando scilicet de prouisione hominis contraria vel plane non, vel non satis certo constat. L. fin. C. de dotis promiss. BERGER Conf. 1022. MEVIVS Conf. 54. n. 10. L. 5. L. 24. et 29. ff. de probat. ANT. FABER in Cod. lib. 4. t. 14. Def. 26.

n. 4. Hinc ex Iuris oeconomia prono fluit alueo, sub eo, qui lege iubente clarius loqui debuit, Leges nullum alium intelligere posse, quam qui prouisionem legis suae sententiae contrariam prouisione sua h. e. hominis excludere satagit, et tamen mentem suam h. e. prouisionem hominis vel plane non, vel non satis distincte expressit. Quamobrem, oeconomia Iuris exigente, regula supra indicata hicredit: Quod nimirum *contra eum sit facienda interpretatio*, qui *clarius loqui debuit*, h. e. qui in prouisione hominis se fundat, contraria legis prouisioni, prouisionem hominis tamen, in qua se fundat, vel plane non, vel obscure expressit. Atque haec regula cum indubitata Iuris oeconomia

## X DE INTERPRETATIONE CONTRA EVM FACIENDA

nomia cohaerens et mox vterius stabilienda sufficiens est ad explanandos omnes in disceprationibus forensibus sub hoc genere obuenientes casus speciales, de quibus in sequentibus erit agendi locus.

### Nota.

Equidem facile praeuideo, prouisionem Legis et hominis, ad quam ceu regulae principium prouocauimus, pluribus lectis minus placere, idque ex hac ratione, quod haec prouisio Legis, licet a nullo facile ICto in genere in dubium vocetur, tantis tamen saepe numero difficultatibus ex mente plurimorum ICtorum obnoxia sit, quantis explicatio huius regulae et Boehmeriana et Leyseriana in foro exposta fuerit. Prius igitur quam ad vteriora progradimur, huic rei obuiam ituri rationes de prouisione legis et hominis in praefenti attingere saltem iuuabit.

## §. V.

Principia  
vnde legum  
prouisiones  
deriuantur,

Determinationes alicuius generis aut speciei, siue, vt aiunt, negotii ciuilis vel constantes sunt, vel variables, id, quod ad vnum omnes Philosophi profitentur et ICti. Iliae ex lege stricte dicta praeceptua scilicet, aut prohibitia essentialia vel substantialia negotii constituunt, et ideo necessitatis sunt, ita, vt neutra earum salua rei essentia in facto deficere possit. Hae vero salua negotii essentia adesse vel abesse, ideoque diuersimode, modo sic, modo alter, in facto sub hoc vel isto genere contento, absque rei siue negotii defectu occurrere possunt, istaeque à Philosophis communiter rei accidentia vocantur. Verum enim vero nemo facile inficias ibit, dari quasdam determinaciones alicuius negotii ciuilis variables, quae illud plerunque ingrediuntur; et cum ea, quae ordinarie rei vel in-

unt

sunt vel adsunt, aliquem inducant probabilitatis gradum, ideoque praesumantur; litigantes vel saltim eorum causarum patroni quasdam negotii determinationes variabiles, sibi proficuas, probari tamen nescias, pro iis venditarunt, quas ordinaris negotio infunt, et inde propter praesumptionem nulla in casu dato indigent probatione. Ait adversarius etiam si hanc qualitatem quarundam variabilium, ideoque praesumptionem ab altero allegatam prorsus negare nequeat, tamen obiicit, hancce praesumptionem tantum hominis, minus vero legis esse, et idcirco alterum a probatione asserti sui neutiquam liberare. Hinc Principes, corundemque, quos in consilium adhibuerunt, ICti, has ancipites disceptationes forenses ex L. 1, C. de LL. tollere solliciti fuerunt, atque qualitatem probabilem quam plurium determinationum alias variabilium in hoc vel isto negotio civili ordinarie obuiarum, legibus suis paullatim agnoverunt, et consequenter in variis negotiis ciuilibus varias legum prouisiones stabilierunt. Quare LEGVM PROVISIONES ex determinationibus alicuius negotii variabilibus prodeunt, quarum probabilitatis gradus lege aliquando agniti fuerunt, L. fin. C. de dot. promiss. B. BOEHMERR Ius eccles. protest. lib. 2. tit. 23. §. 4.

Concl. 1. In determinationibus alicuius generis variabilibus, cuius probabilitatis gradum lex agnoscat, prouisio legis conspicitur (§. praef.) Verum gradus probabilitatis alicuius rei lege agnitus efficit praesumptionem legis. *In prouisione legis igitur species praesumptionis legalis latitat, eaque propter is disceptantium, pro quo in foro legis prouisio stat, ab onere probandi liberatur, illudque in aduersarium transfert, hanc determinationem variabilem in facto negant.*

*Quid ope-  
retur legis  
prouisio.*

## XII DE INTERPRETATIONE CONTRA EVM FACIENDA

tem et aliam priori contrariam in facto afferentem, L. 5.  
L. 24. et 29. ff. de probat. B. a WERNHER P. 3. Obs.  
134. n. 4. et Obs. 135. n. 5. quam PROVISIONEM HOMINIS VOCARE SOLENT. Vnde simul patet, *legis prouisionem non nisi a lege permissa proficiunt*. In eo enim indoles legis permissionae consistit, quod alteri immediate ius et libertatem agendi indulget, alteri autem mediante iure vnius obligationem imponat. §. 46. Elem. Iur. Nat. Soc. et Gent. Dn. PRAES.

Concl. 2. Leges ciuiles vel scriptae sunt vel non scriptae, ex consuetudine nimirum alicuius Vniuersitatis aut collegii prodeentes §. 493. Cor. 3. Iur. Soc. Dn. PRAES. Quare legum prouisiones aut ex legibus ciuilibus scriptis, aut ex consuetudine alicuius vniuersitatis vel ex obseruancia fori diurna originem trahunt, ACHILLIS PEDRO. CHAE Respons. tit. de interpret. et Resolut. contractus n. 620. 62.

Pronostio legum vel generalis est vel specialis. Concl. 3. Lex ciuilis vel generalis siue communis est vel specialis, quorsum non solum leges prouinciales et statuta, verum quoque priuilegia in corpore Iuris clausa referas. Legis igitur prouisiones aut ex legibus communibus Romano-Germanicis, aut ex legibus prouincialibus, loci statutatis aliisque iuris beneficiis vim suam nanciscuntur. Et hinc facile patet, prouisiones legum speciales, prouinciales scilicet, aut statutariorum in collisione prouisiones legum generales siue communes excludere. Praesumtio enim legis specialis, sub quibus et prouisiones legum continentur, in collisione prae- sumtionibus legum generalibus derogat. V. D. PRAES. in Dilucidat. st praelim. I. §. 10. MENOCH. de praesumt. lib. 1. Qu. 29. BOEHMERI dissert. de Collis. praesumt. c. 2,

*Provisiones  
legum ex le-  
ge scripta  
non minus ac  
ex obser-  
vancia  
fori pro-  
dant.*

*Pronostio le-  
gis vel gene-  
ralis est vel  
specialis.*

*Praesumtio-  
nes legis spe-  
cialis exclu-  
dant gene-  
rales.*

§. VI.

## §. VI.

Determinationes alicuius generis vel speciei constantes h. e. substantialia negotii civilis determinationibus illius generis variabilibus opponuntur (§. praec.) Quare in substantialibus negotii civilis proprie sic dictis prouisio legis exulat. Sed legis prouisio est species praesumptionis legis pro iure nobis competente, et is qui praesumptione legis pro iure sibi asserto stipatus non est, assertum ius, quod aduersarius negat, probare debet. *coccei de direct. prob. negat. c. 3. §. 8. et 9. Dn. PRAES. Diluc. §. 9. Concl. 5.* Substantialia igitur ab aduersario negata alter prius probare debet; quae, si probauerit, aut alter confessus fuerit, tunc demum prouisio legis in variabilibus illius negotii vires suas porrigit. FRANCISCVS MONALD. Cons. 47. n. 12.

Concl. 1. Negotia ciuilia non solum genera, verum quodlibet eorum quoque saepenumero species et inferiores et superiores includunt per vulgata. Quare prouisiones legum non solum circa hoc vel illud genus, verum quoque circa varias cuiuslibet generis species inferiores occurtere possunt; et ideo legum prouisiones intuitu negotiorum ciuilium in generales et speciales dispesci posse, palam est.

Concl. 2. Cum autem species ex genere prodeant, dum determinationes illius generis variables, constantibus eiusdem adiiciuntur (per princip. logices) atque ex determinationibus alicuius generis variabilibus, quarum probabilitatem lex agnoscit, prouisiones legum subnascantur §. praec. intellectu facile est, prouisiones legum post cognitum genus indigitare, pro qua specie sub isto genere collocata, sit capienda legis praesumtio. Quodsi e. g. ex litteris uestituarae constat, alicui iurisdictionem aut venationem in quodam

pago in feudum fuisse concessam, in iisdem vero minime expressum est, utrum iurisdictio inferior, an superior in feudum data fuerit; prouisio legis facile explicat, pro qua spe, cie sit capienda legis praesumtio, ita, ut alteri, qui contra hancce legis prouisionem aliquid asserit, sui asseri probatio incumbat.

### §. VII.

*Prouisio hominis mutatore et tollere potest prouisionem legis.*

Determinationes alicuius negotii ciuilis, generis vel speciei, variabiles modi originetenu, et accidentia illius negotii sunt §. 5. Hinc dubium non est, quia saluis negotii substantialibus, aliae determinationes illius negotii variabiles, etiam iis, quae ordinarie negotio vel insunt vel adsunt et pro talibus lege permissiva agnoscuntur, substituti, aut iisdem accedere possint, legibus tamen striete dictis neutiquam reluctantibus. Dum vero unum alteri substituitur aut accedit, alterum illud aut tollitur, aut saltim mutatur, per. princ. Ontolog. et dum Partes determinationes alicuius negotii variabiles ab iis diuerfas, quae prouisiones legum constituant, verbis exprimunt, PROVISIONES HOMINIS prodeunt; Quisque adeo facile perspicit prouisiones legum proprie tales, legibus striete dictis non reluctantibus, per prouisiones hominis mutari et tolli posse. GAI. P. 2. Cons. 13. n. 9. FRANCISCVS CVRTIVS IVN. Cons. 4. n. 1.

*Obiectio contra hunc paragraphum remonetur.*

Concl. 1. Quanquam vero plerique ICri huic regulae accedant, quosdam tamen casus ab hac regula excipiendos esse sibi persuadent, secundum tritum illud estatum, quod nulla regula in Iure tam firma sit, quae non aliquando patiatur exceptions. Verum casus, quos a re-

gu-

gula excipiunt, nullam legis prouisionem proprie tales respiciunt et ideo perperam in istis ad hanc regulam provocatur; Proutiones enim legis proprie tales determinations alicuius negotii variabiles praesupponunt, quarum probabilitatis gradus lege permisua agnitus est. (§. 5.) In casu vero, quem MEVIT Consilia posthuma Conf. 54. n. 9. et 10. contra hanc regulam proferunt; determinationes dotis et illatorum vxoris constantes occurunt, lege non permisua, sed stricte dicta, praeceptua ab una, et prohibitua ab altera parte sanctitae.

<sup>10.</sup> Concl. 2. Licet vero, prouisionem legis proprie tales prouisione hominis contraria tolli et mutari posse, minime diffitear; neutquam tamen afferendum esse putauerim, <sup>Vtterius ex-</sup> quod quaevis hominis prouisio tollat aut mutet saltim prouisio <sup>plicatur,</sup> <sup>quando pro-</sup> fitionem legis; Etenim inter omnes Ictos constat, certitudi- <sup>nis hominis</sup> tollat legis <sup>prouisionem</sup> re, indeque hunc elidere. Legis igitur prouisioni, quia vel minus. in gradu probabilitatis quorundam alicuius negotii variabilium consitit, prouisionem hominis contrariam et certam derogare in aprico est. (§. 5.) Id, quod cum trito illo consentit Iuris axiome, quod praesumtio legis, quam utique prouisio legis inducit, veritati cedat. Contrario in casu, quo prouisio hominis aut dubia aut non sufficienter probata est, ista prouisionem legis minime tollit, sed prouisione legis ferenda est sententia.

Concl. 3. Gradus probabilitatis, quem lex permisua prouisione sua agnoscit, vel maior vel minor esse potest. Ad excludendam igitur prouisionem legis, quae pro uno militat, vel exactior vel lenior probatio prouisionis hominis desideratur, pro gradu probabilitatis vel

ma-

XVI DE INTERPRETATIONE CONTRA EVM FACIENDA

maiore vel minore prouisionem legis concomitante. Probationem prouisionis hominis, a probatione in foro consueta neutiquam differre, dubio caret, et idcirco modos probandi prouisiones hominis aliunde praesupponimus.

§ VIII.

Prouisiones legis et hominis sunt correlata, ideoque non nisi in negotiis locum habere possunt, quae verbis expediuntur. Prouisiones enim hominis verba expressa, scripta vel nuncupativa, prouisiones legum vero praesumpta praestruunt. Sed negotia ipsa, circa quae versantur, honesta sint necesse est. Nam negotia inhonesta i.e. delicta sub lege permissiva minime comprehenduntur, et proinde in his, licet forsitan verbis scriptis, aut nuncupativis includantur, quorum iniuriae perrinent, prouisiones legum exulant. (§. 5. Concl. 1.) quamvis legum praesumptio-nes, quae prouisionibus legum sunt generaliores, etiam in his delictis non prorsus excludamus. Inter negotia autem honesta verbis exponenda non solum pacta et testamenta, verum quoque illa negotia referri posse arbitramur, quae in iudicio a disceptantibus peraguntur. Quare prouisiones legis et hominis non solum in pactis et testamentis, verum quoque in ipsis negotiis judicialibus decidendis officium Iudicis instruunt, et idcirco nulla ratio nobis adesse videtur, cur regulam ex legis prouisione explicatam ad contraictus tantum, praeiente BOEHMERO, restringere, vsumque eiusdem in causis testamentorum et processuum excludere deberemus.

Nota

## Nota.

Innumerabiles fere in causis testamentorum cum primis post autoritatem codicillis et fideicommissis donataam, occurunt determinations ultimarum voluntatum variabiles, quae inter heredes, testamentarios aequae ac legitimos, legatarios aequae ac fideicommissarios quam plurimis disceptationibus forensibus primum, deinde autem legum prouisionibus ansam dederunt, quarum complures in iure positivo praeципue romano L. 28. 36. ff. et L. 6. C. traduntur, maiorem vero aliarum super alias aceruatarum harum prouisionum cumulum congeferunt tot ICti inter Germanos, Italos et Batauos celebriores. Sed potestae legum prouisiones faciunt quoque locum regulae nostrae supra traditae. (§. 4.) Proinde latissime patere arbitror, etiam contra heredem vel legatarium vel fideicommissarium interpretationem faciendam esse, si testator pro altero eorum clarissimus locutus non fuerit, ideoque eidem prouisione hominis distincta non prospexerit, cui prouisio legis scriptae vel non scriptae in casu dato reputnat. Verum admodum prolixia nostra foret tractatio, si in praesenti dissertatione ultra contritus progredi vellamus. Itaque usum nostrae regulae in causis testamentorum peculiari pertractioni referuare cogimur.

Concl. CAVTELAE sunt regulae prudentiae in eligendis legitimis mediis obuiis iura contra alterum aut acquirendi, aut conseruandi, aut prosequendi. STRYK de Cau-  
tel. Contract. Sect. 1. c. 1. §. 2. seq. SCHILTER Exerci-  
rat. ad ff. 1. §. 2. Cum vero prouisiones hominis, nisi in negotio ciuili suscipiendo exprimantur, plane deficiant (§. 4. et 5. Concl. 1.) et si exprimuntur ambigue, prouisiones legis prioribus contrariae praef'erantur; atque pro prouisionibus legis manifestis sententia construatur (§. 6. et 7. Concl. 2. et 3.) porro, si prouisiones legis adhuc dubiae et antiquis interpretationis sint, leuiori saltē demonstratione, aut suppletorio indigeant, atque in his articulis impedi-

C

men-

XVIII DE INTERPRETATIONE CONTRA EVM FACIENDA

mento sint, quo minus iura nobis proficia aut acquiramus, aut conseruemus, aut prosequi possimus. *Iurisprudentia cautelaris vel maxime vim suam in prouisionibus legis vel hominis exserit, pro intentionis nostrae ratione aut admittendis, aut clare et adaequate exprimendis, faciliterque probandis.* Huius rei specimina subministravit STRYKIVS in Cautel. Contractuum, testamentor. et iuramentorum.

§. IX.

*Contractus  
et pacta nuda apud Romanos quo modo prodierunt.*

*An dentur  
bodie pacta nuda.*

Quaelibet conuentio hominum aut ciuium singulorum perfecta continet pactum speciale; id, quod aut primis apud Romanos temporibus frequentatum, ideoque singulari nomine notatum fuit, aut minus. Sub priori positione contractus, sub posteriori vero pacta nuda prodierunt. Nec immerito. Romani enim non poterant non quamlibet pactorum speciem nouam hactenus in ciuitate vel plane non vel raro saltet frequentatam, cum ad aliquam speciem cognitam reducere non possent, simplex pactum siue nudum pactum compellare. Nec diffiteor, nos talia pacta specialia, si forsitan occurrant, et ad speciem pactorum siue contractuum hactenus cognitam reduci nequeant, adhuc pactis nudis adscribere debere, sub alio ramen effectu, ac quidem apud Romanos. Etenim primis Reipubl. Rom. temporibus, ob incertitudinem iuris, quo vrebantur, non poterant non ad iurisprudentiam confugere formulariam, atque pro singulis, quas ab aliis gentibus receperant, conuentionibus ideoque contractibus, peculiares construere formulas, quibus iura sibi ex his competentia et consequenter actiones inuestire debebant actores. Hinc reliqua pacta specialia nondum inter gentes, nec ci- ues

ues Romanos frequentata, indeque nec singulari nomine *Origo con-*  
*notara, h. e. nuda, quod pro his formulae deficerent,* *tract. b. f.*  
*tunc temporis vix aliquos effectus ciuiles produxerunt.* *et stricti iuris apud Ro-*  
*Ne autem Quirites ex defectu formularum in negotiis et manus.*  
*conuentionibus nouiter assumis detrimenti quid caperent,*  
*ICti modum paciscendi generalem verbis solemnibus per-*  
*ficiendum publicarunt, quibus quaevis pacta, etiam nuda*  
*inuestiri atque propter actionem ex stipulatu proditam ad*  
*contractus uechi poterant. Vnde contractus bonae fidei et*  
*stricti iuris apud Romanos originem cepisse non sine ra-*  
*tione asserit B. BOEHMERVS. Quare contractus b. f. sunt*  
*contractus, quos Romani ab aliis gentibus receperunt, et*  
*consequenter cum his communes habuerunt. Hi vero*  
*contractus stricti iuris, quod verbis solemnibus, siue nun-*  
*cupatiuis, siue scriptis celebrabantur, Romanis proprii erant,*  
*quorum alter ab actione prodita stipulationis, alter contra-*  
*ctus litteralis nomine veniebat, cui posteriori *cambium* pro-*  
*prius accedit. Conf. BOEHMERT tract. de *Actionib.* Sect.*  
*I. C. 3. §. 29. et seq.*

Concl. I. Nec mirum nobis yideretur, cur Romani tem- *Origo et ef-*  
*pore recentiori quaedam pacta specialia alias nuda, licet ver-*  
*bis solemnibus non includerentur, ex lege speciali, aliqua* *fectus pacto-*  
*actione siue condicione donarint, posteaquam ista pacta spe-*  
*cialia alias nuda ciues Romani necessitate diu frequentauen-*  
*ter, pluresque eorum ex variis rationibus extrinsecis san-*  
*cte custodire soliti erant. Haec enim pacta alias nuda,* *rum legitimi-*  
*quorsum referas promissionem dotis, donationem inter vi-*  
*uos, aut propter nuprias, constitutionem debiti vel proprii,* *morum de-*  
*vel alieni aliaque successu temporis, propter rationem ge-*  
*neralem in contractibus b. f. obuiam, ex consuetudine Ro-*  
*ma-*

XX DE INTERPRETATIONE CONTRA EVM FACIENDA

manorum speciali auctoritatem consequebantur, atque inter pacta vestita ob legem nouam, scriptam aut non scriptam, nomine PACTORVM LEGITIMORVM veniebant L. 6. ff. de pactis.

*De Iure Canonico et Germanico.*

Concl. 2. Postea Doctores nostri ICtos Romanos imitari atque ex Iure Canonico et moribus germanicis plura alia pacta specialia pactis legitimis adscribere cooperunt, inter ciues frequentata. Quid quod ipsis pactis alias nudis vim et potestatem obligandi vindicarunt, cum his omnibus conditionem ex lege, aut moribus concederent. BERGER Oecon. iur. L. 3. t. 1. §. XI. n. 1. et seq.

§. X.

*Quidnam sunt essentia naturalia et accidentalia contractus b. f.* Contractus b. f. includunt pacta specialia necessitate aut commoditate inter gentes frequentata singularique nomine notata. (§. praec.) Sed quaelibet species, licet ex quibusdam determinationibus constantibus, quae eius essentiam et substantiam constituant, componatur, admittit tamen determinationes quoque variabiles, quae salua rei essentia et abesse et adesse possunt. (§. 5.) Quilibet igitur contractus b. f. ex quibusdam determinationibus constantibus, quae eius essentiam aut substantiam constituant, quasi componitur, admittit tamen simul determinationes variabiles, quae salua contractus essentia adesse aut abesse possunt. L. 72. ff. de contrah. Em. Vend. Hactenus ICti non recedunt a Philosophis. Vtique quidem in quolibet genere et qualibet specie determinationes constantes et variabiles concipiunt; illisque non solum essentialia, sed quoque attributa tam propria quam communia adscribunt, in his vero scilicet determinationibus variabilibus ICti, quibus in praxi cum

cum singularibus res est, vltierius progressi determinaciones alicuius contractus b. f. variabiles in *naturalia* et *accidentalia* dispartiti fuerunt. NATURALIA vero contractus b. f. vocant determinationes illius variabiles, quae ordinarie seu regulariter ex prouisione legis sive scriptae sive non scriptae huic insunt. L. 72. ff. de contrah. E. V. L. II. §. I. ff. de Act. Emt. Vend. FRANTZKII Commentar. in Pand. lib. 28. t. I. n. 319 - 329. STRV VII Syntagma Iur. Ciu. Exerc. VI. §. 23. et 24. BERGER Oecon. Iur. Lib. III. tit. I. §. 7. n. I.

Concl. Naturalia contractus continent determinationes eiusdem variabiles, quae ordinarie saltem contra-  
etui insunt vel adsunt. (§. praef.) Sed ab iis, quae ordi-  
narie rei insunt vel adsunt, praesumtio legis generalis pro-  
ficiuntur (per vulgata) et si ista negotia verbis perficien-  
da concomitatur, dicitur *prouisio legis* (§. 5.) quae aut ge-  
neralis est, aut specialis. (§. cit. concl. 3.) Quare determina-  
tiones alicuius contractus variabiles ex prouisione legis, sive generali,  
sive speciali ad naturalia illius euebuntur, et a reliquis, quas ac-  
cidentalia vocant, segregantur. FRANTZKIIS l. c. n. 326.

## Nota.

Plures quidem in Iure nostro vbiique obniae sunt legum proui-  
siones *explicite* tales, quales nimur in materia de contra-  
ctibus, testamentis, legatis, codicillis, fideicommissis cuilibet  
facile occurruunt attendenti, non pauciores tamen *implicite* ta-  
les deprehendes, quas ICti ex variis LL. argumentis inter-  
pretatione doctrinali intulerunt vstu fori comprobatas.

## §. XI.

Paetum, quo contrahentes quoad determinationes ali-  
enius contractus variabiles inter se conueniunt dicitur PA-  
ETIUM CONTRAHENTIUM VEL IN

## XXII DE INTERPRETATIONE CONTRA EVM FACIENDA

*continenti  
vel ex inter-  
vallo adie-  
ctum.*

*In quem fi-  
nem adisci-  
untur.*

CTVM CONTRACTVI ADIECTVM; Id, quod aut eodem tempore, quo contractus celebratur, cum contractu perficitur, aut tempore post contractum plane absolutum aliquo intericto accedit. Illud dicitur pactum contractui in continenti, hoc vero ex intervallo adiectum. Illud, quia cum contractu progeneratum, et unum cum eodem negotium constituit, pactis legitimis adscriperunt Romani, et eandem hodie cum contractu procreat actionem L. 7. §. 5. L. 13. C. de pactis Hoc vero, quia contractus sine eo aliquando extitit, pactis nudis annumerarunt, hodieque conditionem saltim ex moribus progignit. Quum vero accidentalia alicuius contractus non minus ac naturalia sub illis determinationibus contractus variabilibus comprehendantur, minime autem substantialia eiusdem (§. 10.) in pactis quidem contractui in continenti adiectis accidentalia contractus aequae ac naturalia salvo contractui constitui et constituta iterum pactis contractui intervallo adiectis salvo contractu mutari possunt. At substantialia b. f. contractus, quod contractum efformant, ita, ut sine his ipse cogitari nequeat, in pactis adiectis quidem plenius declarari minus autem mutari possunt, siue pacta contractui in continenti, siue ex intervallo adiecta ponas. BRUNNEMANN Comment. ad Pand. ad L. 72. de contrah. E. V.

## § XII.

*Vberius ex-  
plicatur  
quonodo re-  
gulae vflis  
in contrac-  
tibus b. f. se se  
oxerit.*

Qui in allegandis determinationibus alicuius negotii variabilibus prouisione legis munitus est, fundatam habet intentionem, et onus probandi in aduersarium tales determinationes in illo negantem transfert. (§. 5. concl. 1.) In naturalibus igitur alicuius contractus si quis se fundat vere

vere talibus, a probatione eorum immunis est, et onus probandi in aduersarium transfert, (§. 10. concl. 1.) qui ea- dem in isto contractu adfuisse negat, accidentalia potius naturalibus in casu dato opposita adfuisse adfirmat, ideoque in prouisione hominis se fundat, (§. 5. 6.) Siquidem in contractibus b. f. ei, qui in *exclusione naturalium et substitutione accidentalium se fundat*, prouisio legis obstat, ideoque is ex mente ICtorum dici potest, *qui in contractu celebmando clarius loqui, et consequenter pacis, aut in conti-*  
*nenti, aut ex interuallo adiectis sibi contra prouisionem legis prospicere, iisdemque, cœu prouisione hominis, naturalia illius contractus intentioni suea contraria excludere, atque acciden-*  
*talia sibi magis commoda substituere debuissent.* (§. praec.) Quare non dubito, fore plerosque, qui regulam supra expositam in contractibus b. f. ita declarandam esse, nobiscum consentiant, quod nimurum in contractibus b. f. contra eum sit facienda interpretatio, qui in mutatione sue exclusione naturalium et substitutione accidentalium quorundam b. f. in prouisione hominis prouisioni legis contraria se fundat.

Concl. 1. Pacta legitima quum Iure Romano non min-  
 nus ac hodierno in eo cum contractibus b. f. conueniant,  
 quod sint pacta specialia necessitate aut commoditate inter ciues Romanos et Germanos diu obvia, singularique nomine notata, *tempus autem antiquum, quo contraetus iam ante inter alias gentes, et recentius, quo pacta legitima inter ciues Romanos frequentari cooperunt, ad eas deter-*  
*minationes minime spectet, vnde naturalia et accidentalia contractus b. f. peculiariter cum aliis deriuauimus, potius vero determinationes et constantes et variables, sub quibus posterioribus naturalia et accidentalia contractus b. f.*

Nec minus  
in pactis le-  
gitimis.

col-

#### XIV DE INTERPRETATIONE CONTRA EVM FACIENDA

collocauimus, eodem modo in pacta legitima cadant, ac in b. f. contractus; facile est ad intelligendum, quod regula nostra contractibus b. f. in §. praec. accommodata quoque transferri possit ad pacta legitima Romanorum et Germanorum.

##### Nota.

Interea cuilibet libenter concedimus, qualitatem et naturam et accidentalium cuiuslibet pacti legitimi a Romanis vel Germanis recepti ex Iure aut communi, aut provinciali et statutario esse inuestigandam. Nec desunt ICI, qui in enucleandis pactis Germanorum legitimis occupati fuerunt, eorumque exempla in *pactis successoris, dotalibus, pactis hereditariis renunciatiis filiae nobilis, pactis confraternitatis, contracta vitalito, vniione prolium etc.* occurunt. Conf. B. LEYSERT Medit. ad ff. Spec. 42- 45. Perillustr. A CRAMER Diff. de pact. hered. renunc. filiae nobilis. KELLENBENZ de renunciatione successionum. MUSCUL. de successione conuent. et anomata. RXCK de vniione prolium. KOHL de pact. dotal.

#### §. XIII.

Porro in  
stipulatio-  
nibus.

Contra fi-  
pulatorum  
apud Roma-  
nos est faci-  
enda inter-  
pretatio.

Vel maxime eminet inter contractus stricti iuris stipulatio, quam contractum stricti iuris esse aiunt determinata, h. e. sollemini interrogatione vnius de prestatione rei futura et congrua responsione alterius celebratum. Sed verba ista solennia apud Romanos fixum habebant atque determinatum significatum. Hinc absoluta stipulatione ultra verba ista, quibus usus fuerat stipulator, eorundemque fixum et legale significatum nec iudici aut Praetori licet progreedi, et consequenter verba ista stipulatoris interpretationem non nisi strictissimam admittebant, aliam vero ex aequo et bono resultantem plane nesciebant. Quid igitur mirum, cur non nisi ea, quae disertis verbis in sti-  
pula-

pulationem erant deduc̄ta, stipulatori prodeſſent, neuti-  
quam vero omissa, qualiacunque ſibi cogitauerat. L. 99. ff.  
de V. O. L. 78. §. 1. L. 83. §. 3. L. 135. §. fin. eod. Vn-  
de quoque ſoli stipulatori imputandum, quod ea omnia,  
ſuper quibus cum altero conueniebat, verbis diſertis in ſti-  
pulationem non deduxerit. Sponsio enim alterius contra-  
hentis ſtipulationem vnius ſequebatur. L. 1. §. 3. et 6. L.  
83. §. 2. de V. O. Idcirco intellectu facile eſt, cur apud  
Romanos contra ſtipulatorem, qui forſtan plura, quam in  
ſua ſtipulatione verbis expreſſerat, ab altero exigere weller,  
facta fuerit interpretatione L. 38. §. 18. ff. de V.O. Quis au-  
tem non videt, hanc legis ſanctionem non niſi ex attri-  
butis propriis ſtipulationis determinari, ideoque eum, vti  
iam §. 3. afferuimus, contra regulas interpretationis reſtri-  
ctiue manifeſte peccare, qui eandem ad contractus b. f.  
aut alia paſta legitima, quibus hodie utimur, transferri  
poſſe, aſſeuuerat.

*Cur prior  
regula apud  
nos non pro-  
cedat.*

*Nota.*

Quamquam enim inciāndum non ſit, plurima, quae alias in  
Iure Romano de ſtipulationibus ſanciantur, ob eam ſaltem  
rationem in aliis paſtis, tam nudis quam legitimiſis, quid quod  
etiam in contractibus b. f. locum habere poſſe, quod ſtipula-  
tio apud Romanos ſuit modus paciēndi generalis; ſiquidem  
ex hac ratione Romani non potuerunt non generalia Iuriſ  
naturaliſ paſtūi p̄cepta circa ſtipulationem tradere, ita  
ut iſta, ſi ab iis, quae in materia de ſtipulationibus ex ver-  
borum ſolemnitate determinata ſunt, ſeiungantur, procul du-  
bio ipſum Ius naturale paſtūi explaſent. Cf. BOEHMERI  
*Ius Digest. tit. de V. Obl. §. 5.* reliqua tamen, quae de ſti-  
pulationibus in Iure Rom. ex verborum ſolemnitate determi-  
nantur, quorū etiam ſpectat cit. L. 38. § 18 ff. de V. Obl.  
nullo prorsus modo paſtis legitimiſis et contractibus b. f. ap-  
plicari poſſunt.

*Modus pa-  
ciēndi ge-  
neralis in  
ſtipulat. de-  
pendit.*

D

§. XIV.

## §. XIV.

*Quaedam  
naturalia  
paetorum in  
genere indi-  
gitantur.*

Quamvis vero paecta nuda secundum nostrum concipiendi modum a contraria b. f. et paectis legitimis in eo differant, quod in formam peculiarem nondum sint redacta, ideoque determinationes constantes huic vel illi proprias ignorent; alias enim in paecta legitima abirent: determinationes tamen paecti in genere spectari, et constantes et variables, quatenus ex Jure naturali paectio cognitae sunt, neutquam excludunt. Vnde nostra quidem sententia, quoad paecta nuda, secundum nostrum concipiendi modum naturalibus eorum annumerabis, quod paectum nudum

1) Potius sit purum, quam conditionatum, adeo, ut conditiones, sive suspensivas ponas, sive resolutivas, ad accidentalia paetorum, etiam nudorum sint referendae §. 416. seq. Jur: Nat. D.N. PRAES.

2) Quod quis proprio nomine potius, quam alieno cum tertio paectus fuerit §. 422. l. c. ideoque is, qui non proprio, sed alieno nomine e. g. tanquam institutor pacisci velit, hoc alteri paciscenti significare debeat, alias contra ipsum, quod clarius loqui debuisset, fit interpretatio L. 67. ff. de Procurat. CARPZ. Lib. IV. Resp. 80. n. 5. LEYS. in Spec. ff. 161. m. 2.

3) Qyod paectum potius transitorium sit, quam non transitorium §. 421. C. 5. l. c. Hinc nemo creditorum ad solutionem quantitatis cuiuslibet sibi debitae particularem accipendam cogipotest, nisi prouisione hominis aut in continent, aut ex interuallo facta sibi aliter prospexerit debitor. §. 421. Cor. 4. l. c. L. 9. C. desolut. L. 13. §. 8. ff. de aet. E. V. CARPZ.

Part.

Part. 2. C. 28. Def. 13. STRYK de *cavt. contract.* S. 4. C.  
1. §. 5.

4) Quod pactum potius reale, quam personale sic.  
§. 424. Cor. 7. l.c. Vnde pactum non aliter nisi prouisione  
hominis contraria in personale transit. L. 7. §. 8. ff. *de pact.*  
L. 13. C. de *contr. stipul.*

5) Quod pactum potius onerosum sit, quam gratuitum,  
sub modo potius, quam sine modo §. 425. Cor. 2.  
l. c. adeo, ut contra alterum, qui pactum gratuitum esse  
allegat, prouisio legis militet, quae non nisi prouisione  
hominis contraria eliditur. L. 25. ff. *de probat.* CARPZ.  
Decis. 144. n. 12.

6) Quod diligentia pacientium virilitati regulariter  
proportionata, quam ex pacto capiunt, alter tamen qui ad  
pactum sese obtulit, diligentiam ordinaria maiorem praefter;  
et dominus rei, vel saltim naturaliter talis casum sentire  
debeat, nisi non dominus eundem pacto in se suscep-  
rit etc. Conf. §. 430. et 431. Iur. Nat. cit.

## §. XV.

In eo omnes b. f. contractus collineant, quod sint ne-  
cessitate et commoditate inter gentes frequentati, proin-  
de consensu ab utraque parte vero, aut ab una consensu  
racito, ab altera autem vel presumto vel ficto mirantur,  
eamque ob causam contractus vel veri sint vel quasi con-  
tractus. In eo autem contractus b. f. veri a se inuicem  
differunt, quod in altero acceptans aliquid promittat sub  
praeuia demum rei traditione, in altero vero acceptans vel  
nihil plane repromittat, vel saltim rei traditione indeter-  
minata relicta. Ex priori positione contractus b. f. reales,

XXVIII DE INTERPRETATIONE CONTRA EVM FACIENDA

*ex posteriori contractus b. f. consensuales prodire.* Has species vel ob hanc saltim rationem allegare volumus, vt in sequentibus varias prouisiones legum in quibusdam b. f. contractibus obuias eo facilius explanare nobis liceat. *Contractus b. f. innominatos*, quatenus Romanis proprii, hic minime attingere animus est, quatenus vero cum reliquis contractibus communia habent, eatenus sub cerro respectu realibus annumerantur.

§. XVI.

*Mutuum ad contractus reales referatur.* *Mutuum* est contractus de re nobis propria fungibili ita in alterum transferenda, vt alter aliam rem fungibilem eiusdem generis et quantitatis pretii post aliquod tempus restituat. Acceptans igitur in mutuo repromittit restitucionem alias rei eiusdem generis. Verum restitutio necessario praesupponit praeuiam rei traditionem, siue veram, siue fictam. Acceptans inde in mutuo aliud repromittit sub praeuia demum rei traditione, et consequenter mu-

*Quales efficiuntur recte inter contractus reales collocatur.* (§. praec.) Hinc determinationes mutui constantes a parte creditoris in promissione rei fungibilis quoad proprietatem alteri tradendae, eidemque per aliquod tempus relinquendae, a parte vero debitoris in re promissione de alia re fungibili post contractum a creditore adimpletum in eodem genere et quantitate pretii restituenda consistunt. Vterque itaque contrahentium ius accipit, alterum ad adimplendum suum promissum adigendi, debitor quidem ab eo tempore, quo pactum de mutuo dando perfectum, creditor autem non nisi contractu a se ex omni parte impleto.

Concl.

Concl. I. Inter determinationes autem mutui variabiles utique referri potest. 1) *tempus numerationis a creditore factae.* Solutio enim est res facti, et consequenter creditor, qui ante adimplectionem contractus agere nequit, numerationem pecuniae muro datae probare debet. Videatur hoc ex instrumento super mutuo confecto h. e. chirographo fieri posse. Verum enim vero chirographum non nisi contractum mutui in scripturam redactum continet, nec inde numeratio pecuniae probatur, licet debitor in eodem confessus fuerit, se pecuniam mutuo sibi promissam accepisse, aut prorsus in eodem exceptioni non numeratae pecuniae renuntiauerit, partim, quod in mutuo *Proutio legis contra chirographum debitoris quamdiu obstat creditori?* ad determinationes constantes numeratio pecuniae pertinet, partim, quia debitor sub spe, pecuniam sibi a creditore promissam accipendi, libenter in chirographo numerationem pecuniae fatur, et exceptioni non numeratae pecuniae renunciat, licet istam non acceperit. L. B.  
 A LYNCKER Dec. 131. Hinc Romani querela non numeratae pecuniae ad biennium, a tempore confecti chirographi restrictra, non minus, ac *condictione causa data, causa non secuta utrique, ex debitori et creditoru prospicere voluerunt,* illi quidem, qui post traditum chirographum numerationem pecuniae frustra a creditore sollicitauit, facultatem dabant, querela non numeratae pecuniae creditorem ad pecuniam sibi promissam numerandam adigendi; *conditione vero, chirographum ob non secutam pecuniae numerationem repetendi.* Huic autem, scilicet creditori hac legi prouisione *Quando elaps/o biennio, si nimurum debitor intra illud questus non proutio legis succurrat creditoris?* fuerat, contra exceptionem non numeratae pecuniae sue currebant. Hinc creditor, qui post traditum sibi chirographum

XXX DE INTERPRETATIONE CONTRA EVM FACIENDA

phum pecuniam debitori numeravit, curare debet, vt hancee legis prouisionem per biennium sibi obstantem prouisione hominis a chirographo diuersa h. e. probatio ne vel per testes, vel per aliud documentum, aut confessionem ipsius debitoris excludat, L. B. a WERNHER P. 5. Obseru.

*Quando creditoris probatio in cumbat.*

*Prouisio legis ex chirographo quando Debitoris obset?*

246. alias contra creditorem intra biennium ex chirographo agentem ex hac legis prouisione fit interpretatio. BERGER Ocean. iur. Lib. 3. tit. 4. §. 3. E contrario post biennium elapsum creditor contra exceptionem non numer. pecun. sese prouisione legis tradita tuetur, nisi debitor hanc legis prouisionem prouisione hominis contraria sc. querela intra biennium, vel condicione causa data, causa non secura, mota, aut alia probatione excludat. Vnde sub datis determinationibus post biennium contra debitorem est facienda interpretatio, quod sibi contra prouisionem legis creditor indultam inter biennium prouisione hominis contraria non prospexit. L. 8. 10. 14. pr. si. de reb. cred. L. 13. C. de N. N. pecun.)

Concl. 2. Inter determinationes mutui variabiles 2) pertinet quantitas pretii, in qua pecunia mutuo data aliquando creditori sit restituenda. Etenim aut illam pretii quantitatem determinarunt contrahentes, aut minus. Sub posteriori positione vel tempus numerationis, vel tempus restitutionis respexerunt; sub priori positione vero certum numerum cuiusdam generis monetarum exprimere solent e. g. 50. aureos Carolinos, vel 600. thaleros imperii conuentionales. Inter has determinationes mutui variabiles modus mutuum dandi intermedius ex opinione plurimorum ICtorum est ordinarius arg. L. 3. ff. de R. cred. L. 65. §. 1. ff. de V. O. LAVTERB. Coll.

*Nonnulli causis in re mutuo data restituenda formantur et deciduntur.*

Coll. Pract. tit. de R. Cred. §. 32. et seq. BESOLD tr. de mutuo c. 9. n. 2. et 3. STRVX Cautel. Contract. Sect. 2. c. 1. §. 21. STRV VII Syntagm. I. C. exerc. XVI. §. 27. et 28. Quare ad naturalia mutui spectat, quod in pecunia restituenda ex legis prouisione generali respiciendum sit ad illud pretium, quod pecunia tempore restitutionis conuento potius, quam tempore contractus habuit. STRV VII Syntagm. Iur. C. l. c. §. 28. Vnde facile liquet, debitorem, qui tempore restituendae pecuniae conuento non soluit, ideoque in mora esse incipit, ad quoduis damnum tam posituum, quam priuatuum b. e. lucrum cessans, et consequenter ad aestimationem dannorum a mora debitoris maximam teneri. L. 37. ff. mandat. L. 3. §. 1. ff. de condit. tritic. LEYSER ad ff. Spec. 150. m. 1. et 2. Qum autem prouisio legis specialis excludat prouisionem legis generalem (§. 5. Concl. 3.) inficiandum non est, quin prouisione legis speciali, siue prouinciali hoc mutui naturale, legi communi superstructum mutari atque in pecunia ex mutuo restituenda pretium eiusdem determinari possit, quod sicut tempore contractus, non restitutioonis conuento, cuius rei exemplum suppeditat, RICHTER P. 2. Decil. 72. In casu vero tertio, si numerus certus cuiusdam generis monetarum in mutuo exprimitur, debitor ex prouisione hominis b. e. pacto adiecto ad eundem numerum illius generis monetarum e. g. ad 50. aureos Carolinos, tempore restitutioonis conuento obligatur, et si in mora soluendi est, vti diximus, quoque ad damna creditori inde subnata reparanda.

Nisi prouisio legis specialis determinari possit.

Concl. 3. Nec 3) existimo, vsuris alium ac inter determinaciones mutui variabiles assignari posse locum. Mutuum enim procul dubio species est permutationis, in qua et res per-

## XXXII DE INTERPRETATIONE CONTRA EVM FACIENDA

permutandae, et tempus obligationis ab virtuque parte adimplendae determinantur. §. 440. n. 6. Iur. Nat. cit. Inde quoque cambium, quod a mutuo minime recedit, dicitur permutatio pecuniae reciproca, scriptura solemni confecta. Verum alter *permutantium*, qui primum contractum adimpleuit, ab altero, non nisi ex pacto, aut ex mora usurpas exigeret per vulgata. Ex hac igitur ratione generali, sed legali, a vero mihi aberrare non videntur, qui usurpas ex mutuo adhuc hodie, non nisi ex pacto et mora deberi afferunt, adeo, ut creditor, qui ante moram debitoris usurpas ex solo mutui contractu petit, prouisio legis etiam hodie obstat, vti vocant, consecutua L. 3. C. de Usur. Quapropter contra creditorem adhuc hodie, ante moram debitoris, est facienda interpretatio, quod prouisione hominis h. e. pacto, mutuo aut in continentia, aut ex interuallo adiecto, de usuris a debitore praestans sibi non prospexerit, h. e. clarius non locutus fuerit, cum tamen propter prouisionem legis, vel saltim consecutuum, sibi repugnantem, clarius loqui debuisset. (§. 4. 12.) BERGERI Oecon. iur. L. 3. tit. 8. §. 9. n. 3.

### Nota.

Forsitan autem obiciis, hoc assertum aequitat naturali, Iurisque analogiae minus conuenire. Nam debitorem, dicis, a temporis numerationis usque ad conuentum restitutio tempus re mutuo data usum fuisse, utilitatemque ex illa haud raro prorsus singularem percepisse, et inde conclusis, aequitatem naturalem exigere, ut debitor usurpas, etiam non promissas, vel ideo soluat, quod ipse fieri non debeat locupletior cum creditoris detimento; nec minus ex hac eveniente ratione, ut plerumque debitor ex mutuo, etiam ante moram soluat usurpas; ex his vero variabilibus, quae ordinarie contractui vel in unctione, vel adsunt, prouisionem legis deriuari, et consequenter analogiae iuris

Dubium inde  
proponitur.

ius omnino esse *consentaneum*, ut *vſuræ ad naturalia mutui referantur*. At enim vero ad primum respondemus, aequitatem naturalem in specie, nisi legi ciuili agnita, nec actionem, nec legis prouisionem producere, L. i. C. de Leg. LEYSER Specim. 244 Med. 2. ad alterum regerimus, debitores propter prouisionem legis consecutiuam supra allegatam non aliter ex mutuo ad solutionem vſurarum in iudiciis adagi, nisi ex pacto, vel mora, et consequenter nentiquam dici posse, quod ordinarie debitores ultra moram ad vſuras, non promissas condemnentur. *Nec Romanis aequum vſum fuit*, ab hac legis prouisione consecutiuam recedere, et creditoribus nullas sibi in mutuo vſuras stipulantibus indulgere, cum vſuraria creditorum prauitas Romae tam funestos saepe numero excitauerit tumultus.

Concl. 4. Ast 4) quantitatem vſurarum, inquis, promissarum ad naturalia mutui esse referandam, et quidem ob hanc rationem, quod in Reces. Imp. de ao. 1600. §. 172. de ao. 1654. §. 174. quincunces determinantur, ideoque debitorem, qui pacto in genere vſuras, *Landübliche Zinsen*; promisit, quantitatem tamen earum non expressit, quidem ad quincunces soluendas teneri, creditorem tamen, putas, pacto quoque semisses sibi a debitorē stipulari posse, secundum ea, quae supra tradidimus, quod sc. prouisionem per prouisionem hominis contrariam excludatur. Verum omnino negamus, in Reces. Imp. cit. legis prouisionem contineri. Sanctio enim illa est lex prohibitiua, et idcirco vſuras ex mutuo ultra quincunces minime permittit, eaque propter inter legis prouisiones referri nequit. (§. 5. Concl. 2.) Nec creditor, cui pacto vſuras ultra quincunces debitor promisit, consuetudinem contrariam ob expressam L. 26. §. 1. C. de vſuris. allegare potest, id, quod Dn. PRAES. in programmate *de vſuris ul-*

*An et quan-  
do vſuræ  
ultra quin-  
cunces pos-  
sint exigiri?*

XXXIV DE INTERPRETATIONE CONTRA EVM FACIENDA  
tra quincunces, licet promissis, non exigendis de anno 1764.  
vberiori calamo exposuit. Aliter tamen res erit definitio-  
da, si in quadam prouincia lege speciali expressa, qualem  
in *Constit. Brandenb. Culmb.* tit. 1. §. 7. inuenies, semisses  
vfluras expresse promissas exigere liceat creditori pag. 8.  
*progr. cit.* Cacterum posita etiam hac lege speciali expre-  
sa, quae prohibitionem Recessus cit. ad vfluras semisses ex-  
tendit; creditorem tamen non aliter semisses exigere posse  
arbitror, quam si debitor easdem expresse promiserit. Ta-  
lis enim lex procul dubio est ius singulare contra Reces-  
sum Imp. sanctum. Sed ius singulare minime producen-  
dum ad consequentias. L. 14. ff. de LL. Quare debitor,  
qui in hac prouincia vfluras in genere, *Landibliche Zisen*,  
promisit, neutiquam ad semisses, sed tantum ad quincun-  
ces soluendas obligatur.

## §. XVII.

*Commoda-  
tum quid sit  
et effectus  
eiusdem*

Deinde quoque *commodatum* contractibus realibus ad-  
scribitur. Nec immerito. *Commodatum* enim est con-  
tractus, quo alteri vsum rei determinatum gratuitum ita  
promittimus, vt alter rem eandem in specie post vsum  
finitum restituat. Restitutio rei praestruit praeuiam rei tra-  
ditionem. Quare *commodarius* seu acceptans aliquid,  
h. e. rei restitutionem non nisi sub praeuiam demum rei  
traditione repromittit, ideoque *commodatum* recte con-  
tractibus realibus annumeratur. Contractus enim, quo  
acceptans alteri aliquid sub praeuiam demum rei traditione  
repromittit, dicitur *realis*. (§. 15.) Nihil vero impedit,  
quo minus *commodatum* eodem modo, vt mutuum in  
scripturam vel saltē probationis gratia redigatur, et tunc  
ea,

ea; quae de mutuo in scripturam redacto (§. 16. Concl. 1.) inculcauimus, ut iliter ad commodatum veniunt transferenda, ita, ut commodatarius ante rei traditionem a commodante factam et probatam agere possit 1) conditione, vel saltem ex lege, contra commodantem ad rem ad usum determinatum tradendam; aut 2) conditione causa data, causa non secuta, ad instrumentum, in quo commodatum conscriptum retrotradendum. Commodans vero, dum contractum à sua parte adimpluerit, h. e. dum rem alteri promissam tradiderit, actione commodati directa rem post usum rei determinatum finitum repetit.

Concl. Evidem commodatarius omnem regulariter percipit utilitatem. Quare commodatarius ex prouisione legis naturalis ad maximam diligentiam in usu et custodia rei omnino obligatur; (§. 14.) sed is contrahentium, qui ex contractu ad maximam diligentiam obligatur, casum quoque ferre tenetur, nisi proberet, rem mero prorsus casu interisse. (§. 431. c. 4. I. N. cit.) Mirum itaque nobis neutiquam usum fuit, cur commodatarius ex hac legis prouisione generali quoque ad casum ferendum obligatus sit, nisi rem mero casu interisse probauerit. L. 18. ff. commodat. L. 13. §. 1. ff. de pign. act.

*Commodatarius ex legis prouisione casu ferre debet.*

## Nota.

Prinde Ius German. antiquum, vti constat ex Lib. I. art. 60. Iur. Prou. Saxon. quod in quibusdam statutis retentum M. E. V. ad Ius Lubec. lib. 3. tit. 2. art. 1. a iure communi parum recedit, dum in commodato inculcat *Hand muss Hand gewähren.* Istud enim commodatarium simpliciter ad casum rei commodaiae ferendum condemnat, licet rem commodatam mero casu interisse, probare velit, forsitan ex aequitatis naturalis ratione, scilicet, ne officium humanitatis commodan-

*Ius Germanicum antiquum parum recedit a iure communi.*

## XXXVI DE INTERPRETATIONE CONTRA EVM FACIENDA

ti fiat detrimentosum. Nec immerito. Commodatarius enim sive numero quoque casum pacto in se suscipit. Tunc vero contrahens non dominus casum, quem pacto in se suscipit, simpliciter ferre tenetur. (§. 43r. C. r. I. Nat. cit.) Ea propter oeconomiae iuris vel saltim naturalis haud obstat nobis videtur, dum prouisione legis specialis, sive statutariae contra prouisionem iuris communis generalem, pactum vel saltem tacitum, quo *commodatarius casum quoque in se suscipit, tamdiu praefumitur, donec commodatarius prouisionem hominis contrariam probauerit.* (§. 5. Concl. I.) Conf. SCHILTER exerc. 23. §. 5. et seq.

## §. XVIII.

*Quatenus  
legis prouisio  
in precario  
teneum habet.*

Precarium, licet usum rei in alterum gratis translatum includar, et consequenter in eo cum commodato conueniat; differt tamen vel maxime, quod in commodante adficit animus sese obligandi, qui in precario prorsus desuit. Quum autem promissum vnius absque animo se obligandi factum, licet acceptetur ab altero, pacto quidem proprius accedit, nondum tamen idem assequatur, atque in rebus alienis custodiendis extra respectum ad pactum nemo ultra dolum et latam culpam teneatur; illi, quae in commodato regnat, legis prouisioni minime contrariatur, quod in precario dolus tantum et latâ culpa praestetur. L. 8. §. 3. ff. de precar. Attamen nec in precario prouisionem hominis exulare arbitramur, dum nimirum, qui precarium concedit, sibi pacto adiecto prospiciat, ut maior a precario praestetur diligentia. Hinc contra eum, qui precarium dedit, facienda interpretatio, quod isto pacto sibi non prosplexerit, si forsitan in re precario data damnum culpâ saltem leui vel leuissima contigerit. Deinde sub alio respectu quoque contra eum, cui usus rei gratuitus fuit con-

cef-

cessus, militat legis prouisio, quod res potius precario data sit, quam commodato. Facilius enim usus rei precario datur, difficultius commodato. Itaque is, qui rem, cuius usus eidem concessus, ad beneplacitum concedentis restituere detrectat, commodatum, quod allegat, probare debet.

### §. XIX.

Raro quidem circa depositum, quod tertium inter contractus reales sibi vindicat locum, prouisiones legis occurunt, plane tamen non deficiunt. Res enim nobis tradita ad lubitum deponentis restituenda, cuius custodiari gratuitam alteri in deposito promisimus, aut mobilis aut immobilis, aut fungibilis aut non fungibilis esse potest, et quamvis custodia tantum exigat, ut res tradita in eodem loco eademque statu perduret, ideoque usum rei neutiquam includat; deponens tamen non prohibetur simul depositario, aut in continenti, aut ex intervallo cum custodia simul vel administrationem, vel usum rei depositae relinquere, ita, ut a tempore susceptae administrationis rei, cum primis immobilis, vel usus rei mobilis, aut fungibilis, aut non fungibilis, modo mandatum, modo mutuum vel commodatum subnascatur (§. 16. 17.) Verum istiusmodi pacta adiecta eo minus in deposito praesumuntur, quo certius est, quod haec determinationes depositi constantes tollant, ideoque inter determinationes depositi variabiles, vnde prouisiones legum propriæ tales oriuntur, referri non possint. Proinde depositarius non aliter re deposita uti potest, nisi ex pacto vel in continenti, vel ex intervallo adiecto, quo ipsi deponens usum rei vel simpliciter, vel sub conditione, aut sub die reliquit, sufficienter probato. Quodsi istiusmodi pactum de usu rei

*Quasdam lo-  
gum prouisi-  
ones in de-  
posito anno-  
tantur.*

XXXVIII DE INTERPRETATIONE CONTRA EVM FACHENDA

depositae fungibilis aut non fungibilis depositario relinquentendo, ab initio simpliciter adiicitur, depositum ab initio in mandatum, mutuum vel commodatum transit. Si ex interuallo, aut saltim sub conditione vel die adiicitur, depositum ab eo tempore, quo accedit, aut quo conditio vel dies existit, in mutuum transformatur, aut commodatum. Quapropter ab eo tempore, quo depositum in alium contractum, mutui sc. aut commodati, aut mandati transformatur, prouisiones legum, quae in his regnant contractibus, quoque in illud depositum, vti vocant irregulare, transferuntur.

§ XX.

*Contractus pignoris, et pactum hypothecarium quomodo dif-ferans?* Quatenus dominus rem suam variis modis, sub quipotest, ea-tenus inter gentes saepenumero pactum speciale subnatum, de re nobis propria corporali, quoad certum creditum h. e. in securitatem crediti in alterum transferenda. Cum autem ius in rem alienam corporalem, quoad certum creditum h. e. in securitatem crediti nobis competens PIGNORIS nomine veniat, atque secundum Iuris civilis stri-ctioris oeconomiam solum pactum de re nobis propria corporali in alterum transferenda, non nisi accidente rei traditione alteri ius reale in foro ciuili efficax procreet, licet doctrina Iuris Nat. etiam citra rei traditionem ex tali pacto ius reale alteri collatum agnoscat. § 433. Cor. 3. Iur. Nat. cit. Romani illam demum conuentionem de re nobis propria corporali in securitatem crediti in alterum transferenda inter contractus b. f. reales collocarunt, quae coniuncta est cum rei traditione; illam vero, quae rei traditio-

ditione destituta, ab initio Reipubl. Rom. pactis nudis reliquerunt, donec tempore recentiori praetores praceptis naturalibus impertiti, ex hac altera conuentione cum rei traditione non coniuncta ius saltem reale naturale agnoscerent, illamque sua assentia ad pacta legitima eueherent, et illud quod agnouerant pignus naturale, more maiorum suorum, nouo, nempe *hypothecae* nomine insignirent. Inde euenit, ut posterior conuentio, ab effectu quem Praetori debebat, *pactum hypothecarium*, prior vero, ab effectu, quem leges ciuiles diu agnouerant, *contractus pignoris* compellatur.

Concl. Rem nos alteri tradere dicimus, dum eandem ex nostra in alterius possessionem transferimus §. 433. Cor. 2. Iur. Nat. cit. creditor proinde ex contractu pignoris rem debitoris in securitatem crediti possider (§. praef.) L. 9. C. de pignorat. act. L. 13. pr. L. 16. ff. de usurpat. et usucap. L. 15. §. 2. ff. qui satisd. cog. MEVIVS P. 5. Dec. 349. Quum vero res a nobis possideri, ideoque usus eiusdem in nostra potestate esse possit, licet eadem actu non vtamur; et consequenter non implicet, quin possessio rei alienae modo in usum nostrum, modo in alium finem, ab usu rei diuersum in nos transferri queat; in a prico est, creditorem ex solo contractu pignoris rem debitoris in securitatem quidem crediti possidere, minus autem in usum suum conuertere posse. L. 22. §. 2. ff. de pignorat. act.

## §. XXI.

Quamvis autem ex solo pignoris contractu non determinetur, quod creditor usum rei sibi oppignoratae habeat; determinationibus tamen huius contractus constantibus

*Fructus  
creditor ex  
re oppigno-  
rata proue-  
nientes iupa-  
tibus*

XL<sup>XX</sup> DE INTERPRETATIONE CONTRA EVM FACIENDA

tare debet  
vel in vſu-  
ras vel in  
ipſum dela-  
tum.

tibus minime repugnat, si debitor suo creditori vſum rei concedere velit, modo rem fungibilem eximis. Quare vſus rei oppignoratae pertinet ad determinationes contractus pignoratitii variabiles, quae ex legis praeſumptione seu prouisione creditorι neutriquam competit, et idcirco contra creditorem, qui re oppignorata vſus fuit, omnino est facienda interpretatio, quod propter vſum rei sibi prouisione hominis h. e. paſto aut in continenti, aut ex intervallo adiecto non prospexerit (§. 12.) L. 22. pr. §. 1. et 2. ff. de pignor. action. ita vt creditor fructus, quos absque praeuiā hominis prouisione ex re oppignorata percepit, aut in vſuras, si debitor ad easdem obligatus, aut in ipsam fortem imputare teneatur. L. 1. 2. 3. et 12. C. de pignor act. L. 23. ff. eod.

Quandonam  
creditor an-  
tichreticus  
ad rationes  
reddendas  
teneatur?

Concl. Quodsi vero creditor paſto contractui pignoris adiecto, h. e. antichretico ita sibi consulerit, vt ipſi ius fit, fructus ex praedio oppignorato prouenientes loco vſurarum promiſſarum percipiendi; tunc forſan creditorem a rationibus reddendis immunem dicis, propter L. 17. C. de vſuris. Quamuis enim fructus aliquando modum legitimarum vſurarum excedant, locatio tamen conductio, quae huic paſto antichretico inest, vel ideo vſurariam prauitatem excludere viderur, quod rem pro viliori pretio alteri locare liceat. Verum vſuraria prauitas palliata, quae nimirum a mutuo incipit, et deinde ad velandam hancce prauitatem mutuum in alium contractum transfundit, in legibus simpliciter prohibita est. Nullus igitur dubito, quin paſto antichretico non obſtante, quod legem prohibitiuam nec in contractu pignoris tollere potest, (§. 5. Concl. 1.) creditor adhuc ab eo tempore, quo debitor ſaltem demon-  
stra-

stravit, fructus ex praedio oppignorato prouenientes modum legitimarum usurarum excessisse, adhuc ad rationes fructuum et usurarum reddendas obligatus sit, ita, ut excessus legitimarum usurarum pro singulis annis sorti detrabatur, et consequenter aliquando pro ratione temporis diurni sortem plane abhorbeat.  
LEYSER Spec. 157. m. 1. seq.

## Nota.

Variae adhuc circa contractum pignoris et pactum hypothecarium obviae sunt legum prouisiones, quae regulae supra traditae usum ampliorem commonstrant. Sed ne nimis prolixa fiat tractatio, iisdem inhaerere nolumus, ut eas adhuc vberiori calamo exponamus, quas emtio venditio in nonnullis iuris ciuilis textibus suppeditat, ex quibus praecipue regulam usui fori vindicatam interpretari voluerunt Iur. Civil. Doctores.

## §. XXII.

Procul dubio emtio venditio sese exerit in contractu de re nobis propria externa pro certa pecuniae summa in alterum transferenda. Ex qua definitione patet, venditorem rem suam, quoad proprietatem alteri pro certa pecuniae summa promittere, emtorem vero certam pecuniae summam alteri nimirum venditori pro re sua quoad proprietatem transferenda, vtrumque vero acceptare alterius promissum, ita tamen, ut indeterminatum sit, vtrum venditorem, an vero emtorem prius contractum adimplere oporteat, et consequenter rationem, cur mutuum, commodatum, depositum et pignus ad contractus reales regulerint Romani, in emtione venditione vtique cessare. (§. 16. 17. 19. 20.) Hinc intelligimus, cur emtionem venditionem contractibus consensualibus Romani annumeraverint. (§. 5.)

F

Con-

*Cur emtio  
venditio ad  
contractus  
consensuales  
referatur?*

## XLII DE INTERPRETATIONE CONTRA EVM FACIENDA

Determina-  
tiones E. V.  
variables  
quarum pau-  
ciores natu-  
ralibus ad-  
scribuntur.

Concl. 1. In emtione venditione vendor cum emto-  
tore paciscitur de dominio rei suae in hunc pro certa pe-  
cuniae summa transferendo. (§. praef.) Verum dominium  
vel plenum est, vel minus plenum, illudque aut limitatum  
aut illimitatum §. 435. Iur. Nat. cit. porro dominium aut  
pure, aut sub conditione, eaque vel suspensiua, vel resolu-  
tiua §. 417. et 418. l. c. nec minus sub die certo, vel ad  
quem, vel a quo §. 420. quid, quod in alterum, ceu per-  
sonam tantum individualiem, aut simul in eius heredes,  
sive quoscumque ponas, sive ad certum numerum, aut ge-  
nus heredum restrictos, transferri potest. (§. 424.) Quis-  
que igitur, si ad venditorem dominium rei in alterum  
transferentem tantum attendit, facile *complures intuetur de-  
terminationes variables in emtione venditione obuias*, quarum  
plurimae tamen ex prouisione legis, etiam *naturalis, acci-  
dentalibus* potius, quam *naturalibus* adscribuntur, vti con-  
stat ex §. cit.

Nota.

An regula  
hactenus ex-  
plicata in  
LL. natur.  
fundata.

Quātuis enim legum prouisiones auctoritatem suam vel maxi-  
me legibus ciuilibus debeant, (§. 5.) leges tamen naturales  
plerumque iis, qui prouisiones legum stabilierunt, principi-  
um suppeditarunt, ex quo disceptationes ciuium circa ob-  
securas aut ambiguas conuentiones subortas parlatim, visuali  
primum, deinde authentica interpretatione susulerant. Si-  
quidem gradus probabilitatis, qui ex diabus determinationibus  
alicuius contractus variabilibus sibi inicem oppositis alteri  
adhaeret, ex dictamine rationis cognoscitur, et ideo etiam  
ICtis primum ansem praebuit, naturalia alicuius contractus  
segregandi ab accidentalibus. Hinc nullus dubito, quin re-  
gulam hactenus explicatam quoque leges naturales agno-  
scant, quod nimirum contra quemlibet contrahentem sit facien-  
da interpretatio, qui in substitutione accidentalium pro quibus-  
dam naturalibus selfundat. Cf. §. 414. Cor. 6. et 7. Iur. Nat. cit.  
Concl.

Concl. 2. Dominium rei limitatur, dum alteri pignus, aut hypotheca, seruitus vel ius hereditarium, sive lege, sive pacto, sive testamento constituitur §. 437. I. c. porro dum libertas domini re vendi, vel eandem alienandi restringitur. Quare *venditor* ob legis prouisionem sibi obstantem emtori pignora, hypothecas, seruitutes aliaque iura etiam hereditaria, sive lege, sive pacto, sive testamento tertio constituta in emtione venditione indicare debet, alias, nisi prouisione hominis expressa h. e. pacto adiecto desuper sibi prospiciat, emtori ad interesse tenetur. L. 2. et 3. ff. de Act. E. V. L. 68. §. 2. ff. de Emr. Vend. Idem valet, si ipse venditor dominium, donec emtor soluerit, sibi reseruare, aut hypotheca, aut seruitute, aut iure saltim hereditario, aut alio iure quocunque in rem venditam sibi consulere, vel libertatem emtoris re vendi fruendi, nec minus rem alienandi, quomodo cumque restringere cogitat. STRYK Caut. contr. Seft. 2. c. 24. et 25. SCHILTER ad Pand. exerc. 3. §. 57. seq.

*Venditor iuria rei imbarcata emtori indicare debet.*

*Venditor iura sibi reseruanda exprimere debet.*

### §. XXIII.

Venditor ex legis prouisione generali dominium plenum et illimitatum potius, quam minus plenum, aut limitatum in emtorem transferr (§. 22. concl. 1.) ideoque contra venditorem, qui dominium minus plenum, aut saltim limitatum in emtorem tantum se transtulisse afferit, in genere quidem est facienda interpretatio, quod prouisione hominis expressa sibi contra hanc legis prouisionem generalem non prospexerit. Quoniam vero res in alterum per emtione venditionem transferenda aut mobiles aut immobiles esse possint, resque posterioris generis praedia vo-

*Qualis obfit net prouisio si praedia urbana aut rufifica vendantur.*

XLIV DE INTERPRETATIONE CONTRA EVM FACIENDA

centur, quae vel urbana, vel rustica sunt, et licet feudis  
opponentur; dominium tamen directum et utile agnoscunt,  
indeque ex speciali legis prouisione, siue scripta, siue non  
scripta, bonis emphyteuticariis, aut superficiariis adscribun-  
tur, vel saltē eadem imitantur. Conf. tit. Si ager vesti-  
gal. i. e. emphyt. perat. In aprico est, venditori quidem  
rerum mobilium prouisionem legis generalem obstat, mi-  
nime vero, se praeda urbana, aut rustica ponas; in his enim  
saepē numero prouisio legis specialis venditori contra emtorem  
succurrit, et excludit prouisionem legis generalem, ita, ut praedi-  
dium istud venditum potius emphyteuticarum, aut censiticum  
praesumatur.

§. XXIV.

*Edictum ae-  
dilitium vim  
suam nonis-  
citur ex re-  
gula nostra.* Quid quod ipsum edictum aedilitium vim suam vel  
maxime legis prouisione, quam constituit, manifestare fo-  
ler. Etenim vitium rei latens a venditore forsitan dissimu-  
latum, procul dubio efficit emtionem venditionem emto-  
ris errore superstructam, vel principali, prout vitium  
rei venditae vel primarium vel secundarium est. Venditor  
vero emtori, qui post rem traditam aliquando vitium eius  
cognoscit, et actionem redhibitoriam, aut quanti minoris  
instituit, exceptionem opponit, quod res tempore emtio-  
nis vitio caruerit, et demum post emtionem, apud emto-  
rem, in illud inciderit. Edicto aedilitio prouisum intra  
quod tempus, post contractum, contra venditorem pre-  
sumendum sit, rem tempore contractus iamiam vitium ha-  
buisse, adeo, ut venditor in casu, quo vitium rei inter illud  
tempus legale apparuerit, probare debeat, vitium demum post  
emtionem venditionem in re contigisse, aut saltē ipsum vendi-  
torem

*ACQUISITIO ET VENDITIO REI*  
*torem emtori tempore emtionis venditionis vitium rei inbae-*  
*rens indicasse. L. i. §. i. L. 28. L. 38. pr. ff. de edicto ae-*  
*dilit. Hinc facile patet, cur et quomodo contra vendito-*  
*rem in casu dato sit facienda interpretatio, qui vitium rei*  
*venditae latens tempore emtionis venditionis emtori non*  
*indicauit.*

### §. XXV.

Conditiones, sub quibus vendor alteri rem vendere potest, dubio quidem procul ad accidentalia emtionis venditionis referuntur. (§. 22. concl. 1.) Eamque ob causam vendor, qui vnam aliquando, vel alteram earum contra emtorem allegat, interpretationem contra se faciendam pati, ideoque eandem emtioni venditioni se adiecisse probare debet. (§. 12.) Siue suspensiua ponas, siue resolutiua (§. 417. 418. I. N. cit.) attamen cum accidentalia determinationibus alicuius contractus constantibus adiecta species saepe numero illius contractus progignant (§. 6. concl. 2.) nihil impedit, quo minus ex conditionibus emtioni venditioni diu saepiusque adiectis species emtionis venditionis pronosticantur. Inter has species singulare nomine notatas, quae ex adiecta conditione resolutiua prodiere, eminent 1) AD-  
 PRICTIO IN DIEM 2) LEX COMMISSORIA emtioni venditioni adiecta et 3) CONTRACTVS AESTIMATORIVS. ILLA comprehendit emtionem venditionem sub conditione melioris emtoris resolutiua, ISTA, emtionem venditionem sub conditione resolutiua pretii intra certum tempus non soluti,  
 HIC vero sc. contractus aestimatorius, emtionem venditionem sub conditione resolutiua rei intra certum tempus restitu-  
 tae initam. Imo quaelibet earum, praeter determinaciones

*Contra ven-*  
*ditem alle-*  
*gantem con-*  
*ditionem ob-*  
*tinet regula.*

*Vel addicatio-*  
*nem vel lo-*  
*gem commis-*  
*soriarum.*

*Quomodo*  
*contract.*  
*aestimatori-*  
*us fit defini-*  
*endus.*

XLVI DE INTERPRETATIONE CONTRA EVM FACIENDA

constantes, cuilibet proprias, quoque determinationes variabiles, et consequenter tam naturalia, quam accidentalia, admittit, quorum illa ex prouisionibus legum specialibus profluunt, hinc inde tam in iure communi, quam prouinciali et statutario aut consuetudine traditis (§. 10. et 16. concl. 2.) Nec quisquam inficias ibit, quin etiam in his, si ex tit. 2. et 3. Lib. 18. et ex Lib. 19. tit. 1. et 3. ff. tales legum prouisiones proferantur, regulae nostrae auctoritas confpiciantur.

§. XXVI.

In aliis pa-  
Etis E. V.  
intuitu adle-  
Etis quando  
contra ven-  
diorem fac-  
interpret.

Plures adhuc modi in emtione venditione concipi possunt ab iis diuersi, quos determinationes eiusdem constantes desiderant, sub quibus vendor rem suam sui simul comodi gratia in emtorem transfert. Quis enim dubitat, quin vendor rem in emtorem transferre possit, cum animo ipsum obligandi, ut praeter certam pecuniae summam emtor sibi, vel tertio cvidam aliquid amplius, sive tempore contractus, sive ex interuallo praestet. (§. 425. Iur. Nat. cit.) Hinc plures adhuc pro varietate modorum, sub quibus vendor rem vendidit, ICti annotarunt determinationes emtionis venditionis variabiles, quae nisi legis prouisione aliunde munitae, a venditore pactis emtioni venditioni adiectis exprimenda, alias omnino contra venditorem, prouisionem hominis negligentem fieri debet interpretatio. Huc spectant 1) pactum de reseruato dominio salsem civili, donec pretium solutum. SCHILTER Exerc. 30. §. 27. seq. 2) pactum inter E. et V. de mittendis agi- nensoribus, intra certum tempus, rei dimentienda gratia. L. 40. pr. ff. de contrah. E. V. 3) pactum de iure inhabi-

tan-

tandi certam aedificii partem, ad aliquod tempus sibi reseruando. 4) *pactum de usuris*, donec tota pretii summa soluta, interim soluendis. L. 5. et 6. C. de pact. inter E. et V. 5) *pactum protimiseos* L. 75. de contr. E. V. 6) *pactum de retrouendendo*, vel absque tempore adiecto, vel cum tempore, aut a quo, aut ad quod adiecto. L. 2. C. de pact. int. E. et Vend. STRYK caut. contr. Sect. 2. c. 4. §. 25. seq. 7) *pactum de cautione, pro euictione non praefstanta*. L. 6. ff. de euict. et duplae etc.

### §. XXVII.

Licet certa illa pecuniae summa, quam emtor pro remta venditori soluere promisit ad determinationes emtionis venditionis constantes pertineat; determinationes tamen variabiles circa illam non plane deficient. Substantialibus enim E. V. non obstat, quin solutio aut in contienti, pro parata sc. pecunia, aut ex aliquo temporis interuallo fieri possit, prior tamen modus soluendi, ceu ordinarius, ex prouisione legis ad naturalia emt. vend. referunt, et idcirco *contra emtorem*, qui post contractum a venditore adimpletum paratam pecuniam soluere detrectat, est facienda interpretatio, quod prouisione hominis contraria, h. e. pacto adiecto sibi non prospexerit, cuius probatio eidem incumbit. (§. 12.)

Concl. 1. Quodsi vero ob tempus pecuniae numerandae inter emtorem et venditorem nulla exitit disceptatio, venditor vero pretium conuentum in pecunia in loco contractus consueta *gangbare Gelder* accipere detrectat, et ciudem solutionem in certo genere monetarum e. g. aureorum efflagitat, tunc *omnino contra venditorem fieri solet*

*Intuitu pretii soluendi  
quatenus regula obinet  
contra Emptorem.*

*Contra venditorem.*

scup

inter-

XLVIII DE INTERPRETATIONE CONTRA EVM FACIENDA

interpretatio, quod prouisione hominis, b. e. pacto adiecto certum genus monetarum, in quo soluendum pretium, sibi stipulatus non fuerit. (§. 12.)

Proviso  
contra ven-  
ditorem si  
dies solu-  
ti adiectus  
minus cer-  
tus.

Concl. 2. In casu, ex duobus prioribus secundo, dum nimirum emtor ex aliquo temporis interuallo promiserit solutionem, ideoque, quod alias neutquam praesumitur STRYK de caut. contr. Sect. 2. c. 8. §. 24. venditor fidem emtoris secutus fuerit, aut certus dies adiectus, quo solutioni fieri debet, aut minus. In casu posteriori, ante interpellationem vendoris emtor in mora non est, ideoque, nisi expresse usuras promiserit, ante interpellationem ad usuras pro pretio soluendas non tenetur, licet interim ex praedio emto et tradito fructus perceperit. L. B. A WERNHER. P. 9. obseru. 170.

Concl. 3. In casu priori, si nempe certus dies solutioni est praefixus, tunc iterum determinationes huius speciei emtionis variabiles sese exerunt. Solutio enim in casu dato aut ad unum diem certum, aut ad plures dies certos successivos, Zieler, Fristen, Tagzeiten restringi potest.

Quando ori-  
tur contra  
entorem le-  
gis prouisio-  
ni in casu, quo  
dies certus  
solutioni  
praefixus.  
Illa determinatio alias variabilis vel ideo ad naturalia hu-  
ijs speciei referenda mihi videtur, quod paecta ordinarie  
potius transitoria, quam non transitoria sint. (§. 421. c. 4.  
I. N. cit.) Hinc iterum contra entorem, qui ad illum  
diem certum sese ad particularem offert solutionem, est facien-  
da interpretatio, quod clarius locutus non sit, b. e. quod

plures dies certos successivos e. g. dies paschales 1760.  
1761. 1762. non expresserit, in quibus singulis certam par-  
tem pretii soluere voluerit. (§. 5. et 12.) Quodsi vero uterque  
contrahentium inter se tandem consentiant, quod ad diem  
istum totum pretium sit soluendum, tunc secundum ea,  
quae

quae concl. 2. tradidimus, emtor ante diem istum euenientem non est in mora, ideoque nec vsuras, nisi promissas ante diei illius existentiam soluit, licet interim ex praedio emto plures percepit fructus. B. a WERNHER loc. cit. Verum post illius diei existentiam emtor, si non soluit, vtique in mora est, licet eum venditor non interpellauerit, dies enim interpellat pro homine, et consequenter ab eo tempore, nisi vltiores a venditore acceperit dilaciones, interessae morae huic praefastare teneruntur.

Concl. 4. Atque ex his principiis facili negotio casus in concl. praec. formatus vltimus deciditur, quando nimirum solutio pretii pro re vendita in plures dies certos seu terminos successivos ita pacto adiecto est distributa, ut singulis diebus seu terminis certa pars pretii soluenda, donec totum pretium solutum, tunc vtique tot sunt debita particulaaria, quot sunt termini particulares, solutioni destinati, et consequenter mora emtoris non soluentis ex singulis demum diebus, qui veniunt, est diiudicanda. Hinc emtor, nisi pacto adiecto vsuras promisevit, ante existentiam diei solutioni cuiuslibet summae praefixi minime vsuras morae pro hac summa nondum exsoluta soluit, licet interim fructus ex praedio emto percepit. Concl. 2. et 3. post effluxum autem cuiuslibet termini solutioni particulari praecripti, vsuras demum a tempore morae cuiuslibet termini soluit.

### §. XXVIII.

Ex haec tenus igitur prolati legum prouisionibus facile colligendum est, interpretationem contra venditorem

*In quantum per inductionem sententia in*

G

in

## L DE INTERPRETATIONE CONTRA EVM FACIENDA

*Si ne Boeckmeri  
ri et vete  
rum ICto  
rum compo  
nendae.*

in plurimis *saltim casibus* procedere, quando ipse modum rem suam in emtorem transferendi ab ordinario diuersum cooptare satagit, (§. 23 . 26.) *contra emtorem* in paucioribus, quando nimirum hic a modo pretium soluendi ordinario recedit. (§. 27. et concl.) Quum autem a determinationibus alicuius contractus variabilibus, quae ut plurimum contingunt, in dubio ex iuris analogia capiatur legis prouisio vel saltim generalis (§. 5. c. 45. de R. iur. in 6to. L. 3. 5. 6. ff. de Leg. L. 56. L. 114. ff. de d. R. I.) Rat onem perspicimus, cur 1) ICti in L. 39. ff. de pactis L. 21. et L. 33. ff. de contrah. E. V. L. 172. de R. I. contra venditorem modum rem suam transferendi extraordinarium allegantem fecerint interpretationem, et cur 2) BOEHMERIENSIS in §. 20. dissert. supra cit. regulae haec tenus exppositae fundamentum in singulari et extraordinaria posuerit utilitate, quam alter contrahentium ex contractu quaesuit. Addas §. 23. Diss. cit. Verum haec explanatio regulae Boeckmeriana etsi simpliciter falsa dici nequeat, ob defectum tamen principii certi et adaequati nimis generalis est atque ancipitis applicationis et idcirco ut iam supra ostendimus in foro ad senectutem canescere non potuit. Hinc nullam metuemus obiurgationem dum regulam illam in foro alias utilissimam ad principia certa et in iure radicata reducere variasque illius ampliations h. l. ex LL. enucleare solliciti fuerimus. Nec diffitemur, quin ex principio supra stabilito nimirum ex prouisionibus Legum tam generalibus, quam specialibus in iure ubique obuiis explicari possit, contra quemnam contrahentium in reliquis contractibus consensualibus non minus, ac innominiatis

natis er quasi contractibus interpretatio sit facienda? Ast  
amplitudo dissertationis et instituti ratio vltiorem in  
praeſentiarum non permittit perractationem. Itaque hic  
ſubſtimum et reliquas regulae ampliationes ad  
tempus magis commodum refer-  
uamus.





MOLTO ILLUSTRE SIGNORE,  
PADRON MIO COLENDISSIMO,  
ED AMICO DILETTISSIMO.

Non poteva, a dir vero, presentarmisi occasione nè migliore, nè più desiderata, che quella di essere richiesto da V. S. M. Illustre a far la parti di suo avversario in una tizza letteraria. Scorgo benissimo in ciò la mira di lei, ch'è senza dubbio di porgermi motivo di darle un qualche pubblico attestato, non men di quell'ossequio e stima, che le debbo, che di quello suscettivo afferto, che mi fò gloria di portarle, tantopiu puro e sincero, quantorche giel do in qualita d'opponente. Questa, egli è vero, m'obbligava a mettere in dubbio, ad impugnare, e, se vuole, a confutar'eziandio alcune delle sue dottamente stabilitate thesi, ma il vero ed unico scopo, che in ciò ebbi, siccom'ella potette conoscere, fu di eccitare e pungere il valore di lei a difendersi e difendendosi mostrare ad un favoritissimo Uditorio la grande e scelta erudizione, il dritto raziocinio, il forbido stile e la molta perizia che V. S. ha delle legi: dar a vedere in una parola il copioso frutto delle sue onorate letteravia fatiche. Ed appunto non m'andò fallito il pensiero: abbi'l contento e meco tutto l'Accademico confessò, d'ammirare la destrezza in sciogliere gli argomenti contrari, l'avvedutezza in prevenirne le conseguenze, e la sedezza delle risposte: ebbi in som-

somma il contento d'udirla meritarsi a buona ragione la Laurea Dottorale, a cui aspirava, in questa disputa. E che altro impertanto mi resta dopo ciò, se no renderle distintissime grazie dell'onore, anche a me participato, di contribuire in qualche parte almeno, al suo irinalzamento e congratularmi secolei della riportata gloria, con quell'animo stesso con cui goderli del mio proprio vantaggio? Voglia nel rimanente la Provvidenza riconoscere viepiù e promovere il vero merito, siccome oggi veduto abbiamo nella persona di V. S. e col continuare il premio della virtu ed abilità mostrata, faccia che la nostra già stretta amicizia venga a stabilirsi ognor più su d'un saldo fondamento, che non manchi mai, e quindi mi confermi per sempre l'onore che mi dò d'essere con tutto l'animo.

## DI VOSSIGNORIA MOLTO ILLUSTRE

Erlanga ad 2. Aprile

1766.

Divotissimo ed affezionatissimo  
Servidor ed amico

I. C. WITTMANN di Kizinge,

Candidato in diritto, e Membro onorario della  
Società Tedesca d'Altдорff, Oppon.



**G**lück zu dem Streit, verehrter Freund!

Die schönste Krone ist geflochten,

Und würdig ist der Sieg erfochten;

Die Zweifel fliehn, es sinkt der Feind.

**S**o sieget Würde und Verdienst

Das Kleiberts Geist und Muth belebet:

So strahlet reizend und erhebet

Dich Ruhm und Ehre zum Verdienst.

**N**un ziehe hin ins Vaterland

Geschmückt mit Themis Götter Lehre,

Erhöht durch Ruhm, geziert mit Ehre

Empfang den Lohn aus seiner Hand.

**N**un blühe, lebe ewig da,

Es strahle Deines Glückes Sonne:

Es lebe Schweinfurts Lust und Wonne,

Es leb der Würdigste Papa!

Hierdurch wollte dem Hochdelgehrnen  
Herrn Doctoranden, seinen innigsten  
Glückwunsch ablegen, und sich zu ewig  
währender Freundschaft und Wohlge-  
wogenheit empfehlen

Dero gehorsamer Diener

P. E. Segniz, Oppon.










**ULB Halle**  
005 355 311

3







22  
Dissertatio Inauguralis Iuridica

G. T. S. num. 24.  
22. 14

# DE INTERPRETATIONE CONTRA EVM FACIENDA QVI CLARIUS LOQUI DEBVIT

QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO  
FRIDERICO CHRISTIANO

MARGGRAVIO BRANDENBURGICO BORVSSIAE  
SILESIAEQVE DVCE REL. BVRGGRAVIO NORIMBERGENSI REL.

EX DECRETO ILLVSTRIS FACVLATATIS IVRIDICAE  
P R A E S I D E 1766.

JO. IVSTINO SCHIERSCHMIDIO ICto  
SERENISS. MARGGRAV. BRANDFN. CULMBAC. CONSIL. AVL.  
ANTECESSORE ET PHILOS. PRACT. PROF. PVBL. ORDIN.

PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN VTROQVE IVRE HONORIBVS ET PRIVILEGIIS

CONSEQUENDIS

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI

S V B M I T T I T

AVTOR ET RESPONDENS  
GEORGIVS CHRISTOPHORVS KLEIBERT  
S V I N F V R T E N S I S.

D. APRIL. MDCCXLVI.

ERLANGAE  
TYPIS WOLFGANGI WALtheri.

